



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

Eryci[i] Pvteani Admodum Reverendum Amplissimumque Dominvm D.  
Avgvstinvm Wichmans Insignis Ecclesiae D. Mariae Tvngerloensis  
Abbatem Epistola Quâ Iudicium suum de vita S. Willibrordi, eiusque ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

ERYCI PUTEANI  
AD  
Admodum Reverendum Amplissimumque  
DOMINUM  
**D. AVGUSTINVM WICHMANS**  
IN SIGNIS ECCLESIAE D. MARIAE TUNGERLOENSIS  
ABBATEM  
EPISTOLA

Quā Iudicium suum de vita S. WILLIBORDE,  
eiusque cooperatorum, Frisiæ Apostolorum proponit.



ADMODUM R. de & AMPLISSIME PRÆSVE,

In Cælo Terram, ut sic dicam, describi minus iam  
miror: In Terra habemus Cælum. Quicquid magnum,  
æternum, divinum est, Cælum est; & an brevius? ubi  
Deus colitus, qui unus continet omnia, Cælum est.  
Qua quidem ratione, & taam illam, quam pari pietate  
& prudentiâ, pari doctrinâ & bonitate regis TUNGER-  
LOAM, Cælum appello. Omnia hîc pulchra sunt, &  
ad æterna excitant: omnia hîc magnifica, & ad Deum  
ducunt. Ne quis Solen desideret, Sunimum tu quidem  
Astrum

Astrum totâ virtute inter tuos representas ; Purus,  
CANDIDVS , magis etiam animo, quam vestimento  
splendens : Cuius mores tanquam radij sunt , vita tan-  
quam jubar . Sidera tua Viri sunt , & te Mystagogo ,  
Præmonstrant omnibus Religionis exempla , pietatis  
dogmata , Salutis arcana : alius aliâ luce , ut variæ animi  
dotes sunt , Ingenij , doctrinæ. habes in tam selecto  
Cœtu , in tam composito Choro , Theologos , Philo-  
sophos & ne ornatus desit , Philologos , atque litterarum  
studijs excultos : qui cum tui sint , & sub tuis infulis ,  
sic agunt omnes , domi , foris , ut amari ; & sic eminent ,  
ut celebrari mereantur . Vnus nunc quidem hoc meo ,  
sed brevi Elogio , WILLIBRORDVS tuus ; Ille aliquid  
tui exprimens ; ideoque inter claros Belgij nostri , imo  
seculi Scriptores numerandus . Qui profectò , ut omnes  
breviter coniungam laudes , Nominè suo dignus est ;  
quia Magnum illum Sanctumque WILLIBRORDVM ,  
Frisiæ Apostolum , verissimè , plenissimè descripsit .  
Evolui Volumen , & quidni lumen vocem ? Nam illius  
temporis , quod litterarum defectu obscurum , aut cre-  
perum fuit , & nunc tandem verè illustratur . Extra  
nubem PIPINVM illum HERSTALLIVM , extra caligi-  
nem CAROLVM illum MARTELLVM scire licet : statum  
sub ijsdem rerum , & potissimum Religionis ; cùm qui  
Principes erant , essent optimi , & rem Christianam ,  
adhuc nobis nascentem , quâ pietate , câ liberalitate

erigerent; Viris autem locisque sacris impensè faverent.  
Hæc quæ sic explicatur Historia, VITA S. WILLIBROR-  
DI est, hæc imago virtutum, hæc tessera temporum,  
basis antiquitatis Belgicæ, Divorum nostrorum, velut  
indigetum, series & pictura. Hic lego quiequid scri-  
bere diversi potuere: hic scripsit unus, tanquam plures  
coniungerent operam, complexus omnia, non com-  
pendio, sed Commentario; facundus sine fuso, ut  
sua stabiliret; ingeniosus sine fastu, ut aliena ac fal-  
lentia oppugnaret. Ardua res, ut Plinij verbis utar,  
*vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis*  
*nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem.*  
Sed profecto in hoc opere Novitas illa est, vetustas  
corrigitur; Auctoritas illa, nihil sine teste effertur;  
Nitor ille, splendent omnia; lux illa, vincuntur tene-  
bræ; Gratia illa, horror sublatuſ est, denique Fides illa,  
vivis mendacia rationibus profligantur. DIATRIBAS  
Auctor vocat; sed revera Gemmæ sunt; quæ cum  
ubique conspicuæ erunt, in Bibliotheca Asceterij tui,  
quæ luculentissima est, lucebunt maximè, & inter tot  
librorum gemmas. Coronæ sunt, quibus & D. WI-  
LLIBRORDVM WILLIBRORDVS, & te simul Antistitem  
suum basilicè exornat. O pulchrum argumentum! ô  
suave illicium! Tanquam à se non abiret, suum in  
Divo invénit Nomen, & gloriari potuit; Divi in suo,  
& scribendo Cælum veneratus est. Vnius præterea

Vita

Vita , plurium historia est ; & qui sacra fælici ingēnij dexteritate explicit , profana simul emendavit . Prodéat ergò hoc opus , hæ DIATRIBÆ , hæ DISSERTATIONES , & tuis pompam aureis scriptis , OPTIME ; Doctissimeque PRÆSVL , faciant . Tuis , inquam , quæ ut pia , & facunda ; ita cum fructu & fama publica paſsim leguntur . Non in eo numerum , cum vel sola BRABANTIA MARIANA , quam nuper paucis periodis prosecutus sum , numerum faciat , & iam Bibliothecas omnes impleat , ac ditet . Nullum BRABANTIA pretiosius elogium habet , MARIANA est ; nullum ipsa Dei Mater , quæ totâ BRABANTIA colitur ; sed quam totam in tot Vrbibus , Oppidis , pagis , Virginico TUNGERLOA tua cultu exhibit , & comprehendit . Quid præterea ? ut scribis unam tot locis DIVAM ; ita uno præcipue , sed tuo totam colis : quæ nobilissima scriptio est . Illa te , Optime & amplissime Antistes , te , inquam , Scriptorem suum , & Cultorem , Deo propitio , incolumem servet , & longæuum reddat ! Fælicem TUNGERLOAM , quæ à te regitur , & nova quotidie incrementa , atque ornamenta , capit ! hoc votum meum est , quo clando , meque tuum profiteor , vero affectu , obsequio , cultu

ERYCIUS PUTEANVS

BAMELRODIUS.

Lovanij in Arce , xvi. Cal. Octob.

100. IOC. XLV.